

920  
mōvet, ac auget, adq; affectum actu efficiendum perducit ac disponit; donec ad illam perveniatur, quæ proximè morbo conjuncta est, eumque fovet; quâ sublatâ, facilis etiam ejus remotio. Ut sic, quod in inventione fuit ultimum, in executione sit primum. Cum alioquin, si methodus ista non attendatur, morbiq; curatio causâ præsentē tentetur, nihil felici procedat successu, uti Gal. l. 1. meth. med. c. 10. & l. 4. c. 4. 3 d. compos. med. c. 1. dicit.

Causis jam sublatis ad AFFECTUM ipsum rectâ contendimus viâ, eique commoda adhibemus remedia, semper tamen cum primis VIRIUM habendo rationem: & si quid præterea URGENTIORIS incidat SYMPTOMATIS, illud non negligendo. Et est hæc sola illa cynosura, quâ duce, in omnibus corporis humani affectibus curandis, Medicus finem optatum attingere potest, quâque solâ genuinus Medicus, ab Empirico imperitoque discerni potest. Cui methodo usitatæ, affectus nostri etiam accommodabimus curationem, eandem secundum indicationum seriem prosequendo. PRÆSERVATORIAM nimirum, causæ remotioni quæ inservit, primò proponemus loco. Dehinc CURATORIAM, ipsum morbum quæ respicit, sistemus. VITALEM verò, quæ virium conservationi ac robori studet, ubiq; diligenter observavimus; cum in præcedentium utrâq; concurrat, Nec urgentia negligemus Symptomata.

### APHOR. XIII.

Indicatio Vitalis; cum rerum non naturalium usu ac administratione legitimâ cum primis perficiatur: & sanitati integræ adhuc sua suppeditat præsidia, & collapsæ præbet remedia, adeoq; utriq; Medicinæ parti, tum ὑγιαίνῃ, tum θεραπευτικῇ, inservit.

χόλιον.

Tutius esse hostem non admittere, quam admissum debellare; scitum est dictum. Id quod si attenderent multi, certè sanitati suæ melius consulerent; Cujus jacturam non pauci sibi ipsis adsciscunt. Cum enim sanitas magnus vitæ nostræ sit thesaurus, maximumq; hominis bonum, nullo precio redimendum; studiosè

F

omniñò